





23

cf. IV. B.  
366

PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**CHRISTIANVS**  
**VATER**  
PHIL. ET MED. D. PATHOL.  
P.P. PHYSICVS PROVINCIALIS SAX.  
ARCHIATER ANHALTIN ET ACADEM.  
NATVR. CURIOSOR. COLLEGA  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
S P D

**A**gnoscimus, et miramur, hominem igna-  
ua opera, medica sententia, ac lingua, cum ue-  
nit in mentem Antiochenis illius Magni, qui  
tantam Alexandriae dignitatem obtinuit, ut, undique  
concursu terra marique facto, ad eum, uel uisendum,  
iretur. nam cum, ut accepimus, ad Zenonis Cyprii  
scholam Aristotelis acumen attulisset, ex illa progres-  
sus, de medendi arte tam acute differebat, ut audien-  
tes medici obmutescerent, et tam mirifica rationum  
subtilitate demonstrabat, eos, quos, iam mōrbo leua-  
tos esse, constaret, adhuc eodem illo teneri, ut, cum  
homines, recuperata, confirmataque ualeitudine, me-  
dicis suis gratias agerent atque haberent, ille tamen  
hos, disputatione, obiectisque quaestiuiculis obrutos  
ac uictos, aperte confutaret. at enim in hoc inuicto  
disputandi robore medendi uis ita languebat, ut, cum  
medicina esset facienda, a medico, uerbis abundante,  
remediorum inope, facta cum dictis minus exaequa-  
rentur. Sic autem mos, et persuasio fert complurium,  
qui sola ratione et opinione, quam mente sibi finxe-  
runt, leges regulamque medendi constituunt, et, ne-  
glectis uisus experimentis, in hominum uitam, quam  
scientiam suam, peccare malunt, illosque credunt  
bene mori, qui ex artis disciplina moriantur. Quos  
quidem Sophistas nominat Senex Pergamenus, et  
intelligit otiosos, atque, ubi se maxime circumspicant,  
imperitos, qui, operum artis ignari, solis disceptatio-  
num ambagibus tempus conterant, pugnantque inter  
se, et quaerant, quamobrem fracturae capitis callo  
non obducantur, et sibi opinione sua sapere ac place-  
re, quam consulto remediorum subsidio laborans ho-  
minum genus recreare, malint. at hi quidem inge-  
niū acie quantum proficient, Auicenna, et Julius Caes-  
ar Scaliger, praestantes ingenio sapientiaque uiri, mo-  
nimento sunt, quorum ueterque per inscitiam meden-  
di, praeposteramque uictus rationem, mortem sibi ma-  
turaluit. Prudentiores nihil dubitant, quin ars salu-  
taris

taris cum scientia, tum usu, perficiatur, quod omnis, si  
vero sui aestimetur iudicio, ad hominum salutem confe-  
ratur, neque hic interesse sua putet aegrotus, ut ingenio-  
fe de salute sua contendatur, sed ut bene sibi consulatur.  
Neutram medici decoris partem desideramus in MI  
CHAELE GOTHOFR EDO ZIEGRA, in quo flag-  
grans animi studium naturae humanae inuestigatio co-  
gnitioque expleuit, sed morbi depellendi facultatem  
multorum annorum obseruatio laborque firmavit, et  
fortuna plurimis, clarissimisque, exemplis comprobavit.  
Ad hanc enim artem natus erat, ad hanc Michaelis  
Sennerti, auctoris idonei, sive ad sacrum  
fontem sponsoris, cohortatione excitabatur, indulgen-  
tibus filii studio, summae pietatis, atque integratatis  
parentibus, Constantino Ziegra, Doctore Theologo,  
et Physico, Ordinisque Philosophici Seniore, atque  
Anna Sophia, Dauidis Fritschii, Praetoris Vitember-  
gensis honestissima filia, a quibus hic anno recuperatae  
salutis cīc lōc lVIII, IV Nonas Septembreis, suscep-  
ptus est, et cum aliorum, tum Ioannis Mulleri, antisti-  
tis postea Iessenensis, curae, ut bonis et moribus et li-  
teris imbueretur, commisus. Philosophandi scienti-  
am, quae quidem rationibus medicis conduceret, ac-  
cepit in primis a patre, alia tamen disciplinae liberalis  
capita apud alios magistros exploravit, arctiusque iun-  
ctus Strauchiis, Lossiis, Thiliis, maxime Sennerto suo,  
recto expeditoque itinere ad fontes artis quaesitos, a-  
pertosque perrexit. Collaudarunt industriam Salani  
Pati, et blande comiterque acceptum, ad amicitiam  
admiserunt, spectata etiam et moris honestate, et rei  
medicae notitia, ac discendi cupiditate, sibi probatum,  
adiuuerunt liberaliter, praesertim Vedelii et Faschii,  
quorum bono, ingenuoque consilio familiariter uti-  
solebat. Doctrinae specimina, quibus ad altiorem gra-  
dum eniteretur, in patria dedit, nactusque more ma-  
iorum ueniam, auspicatum artis suae periculum fecit,  
et, cum diutius iam rem bene gessisset, anno cīc lōc xcix  
amplif-

amplissimis Laureae medicae honoribus auctus, partam tot miserorum leuatione famam singulari diligentia officii, et felicitate, cumulauit. Nihil opus est iudicii nostri testimonio, alioqui prolixo et cumulate dando, ubi laude paeclari uiri redundat ciuitas, nec uicinus ager uacat, nec solum illius nomen latius manat, sed etiam obuersantur ante oculos non pauci, qui eius ope, in rerum omnium inopia, leuati, obitum tam repentinum, acerbumque lacrimis, et desiderio, prosequantur. Namque, uti parum est opis nostrae, ubi Deo stat aliter, sic medicum, tanta tot annorum exercitatione cognitum, extemplo ars facultasque defecit, cum biduo, quam dextra, amissio sensu, paullatim debilitari coepisset, resolutione neruorum in dextro latere correptus, morbo succumberet, et XVII Kl Martias, sub meridiem, e uita migraret. Fidem praestitit fratri Soror, tam graui, improvisoque casu perculsa, languenti etiam, quam potuit studiosissime, subuenit D Heucherus, Collega noster maxime obseruandus, sed desperatis iam rebus, sententiam diuinae necessitatis expleuit optime, uir multa ueneratione dignus, L Io Hieronymus de Vuedig, qui, in re tam incerta, amici certi partibus functus, affinem, multo sibi coniunctissimum, coelesti consolatione subrefecit, et pia solemniique precandi formula consecratum, non sine animi dolore, sed maiori obsequio, quo reuocauerat Deus, dimisit. Vixit annos tres et quinquaginta, sex menses, detractis totidem diebus, uita, quam sancte, continenter, officiose, pacate egit, longiori dignus, nisi Deus eum coelo digniorem iudicasset. Vos, CIVES, hortantur uiri tam parato in omnes, quibus opitulari poterat, officio memoria, et Ziegrani nominis, quod in fastis Academicis praefidium dignitatis habet, merita, postremo Deuedigianae necessitudinis honor, ut lubentes frequentesque operam funeri detis, quod, hodierno die, ex domo mortui, H a meridie I, in Aedem Marianam, publica, et celebri exequiarum pompa, deducetur

P P Dom OCVLI, A R G cccxii

Ung VI 3

10 18  
13 17



73

cf. VT 3  
366

B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Blue

## Farbkarte #13



DIRECTOR  
LE VITEMBERGENSIS  
**STIANVS**  
ATER  
MED. D. PATHOL.  
S PROVINCIALIS SAX.  
ANHALTIN ET ACADEM.  
EVRIOSOR COLLEGA  
**S ACADEMICIS**  
S P D